DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO,
VIRGINIQVE DEIPARÆ,
ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA.
QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XXIV. IANVARII.

M. IOANNE DE MONSTROEIL Doctore Medico, Præside

887

An κοινὰ ἐστιν sensus communis sedes?

CVM demortuum corpus solita viuentibus non exequatur munera, eorum ab ipso distinctam aliquam causam haberi necesse est, cuius propria peculiarísque actio vita sit, anima nuncupatur, quæ calore natiuo, eóque elementari, ac per singulas viuentis partes diffuso, tanquàm primario instrumento ad suas functiones obeundas vtitur. Triplex illius genus vegetans, sentiens, intelligens: vegetans vi fomatrice & alteratrice prædita accommodatum sibi corpus fingit; quod calore humidum primigenium depascente, ad interitum ruit, citiúsque rueret, ni affluentis nutrimenti commeatu, eius indesinens iactura repararetur; huic officio incumbit facultas nutrix, quæ non modò in locum deperditæ substantiæ tantùm reponit, quantùm effluxit, verum etiam ampliùs quàm effluxerit, vndè viuens augetur, præscriptamue acquirit magnitudinem: sentiens hisce virtutibus instructa est, quin & cognoscit, appetit, mouetur: intelligens præter illas dotes, rationem obtinuit, quâ ornatus homo cunctis animantibus antecellit.

COGNITIO stirpibus inutilis, terra cui affixæ sunt, quasi pro ventre est, præparatum subministrat alimentum, eâ animalia indigent, quæ motu cientur interiore, vt cibum conuenientem quærant, res noxias fugiant, vtiles prosequantur. Ad hunc finem externi sensus facti esse videntur, quibus tanquàm exploratoribus & internuntiis res quaslibet obuias deprehenderent. Quinque sunt tactus, gustus, visus, auditus, odoratus: tactus & gustus ad vitam omninò necessarii, ille tactiles dignoscit qualitates, & homini, vt temperatissimo, acerrimus obtigit, certæ non additus est parti, sed ratione nerui, proprii scilicet organi, vbique diffusi, toti corpori communis est, hic ὥσπερ ἀφὴ τῆς γεύσεως ἐστὶ linguæ insidet, cuius caro rara, mollis, spongiosa, humore saliuali perpetuò irrigata, de esculentorum saporibus iudicat.

MAIORIS commodi gratiâ comparati sunt visus, auditus, odoratus; primus omnium nobilissimus in oculo est, qui pellucidus, aqueus, ad instar speculi, obiectorum imagines recipit & repræsentat; inter varias partes, quibus componitur, principatum tenet ἀμφιβληστροειδὴς tunica, cui cæteræ membranæ, humores etiam in ipsis inclusi ministrant: alter in aure manet, & circa sonos occupatur, cuius membrana tenuissima aëri vndarum more appellenti exposita, impressum sonum osiculorum motu, neruo communicat; præparant aërem auricula, sinus anfractuosus, atque vi nimiâ irruentem frangunt: tertius odores persentit, quos ad mammillares processus nares deducunt.

SENSVS alterationis perceptio, nec solius animæ, nec solius corporis, sed vtriusque operâ perficitur, recipit corpus, percipit anima, atque facultate quadam externis sensibus communi ac subseruiente se sentire sentit, & quid inter album, dulce, calidum discriminis intercedat, discernit; ea potentia vna est, solisque competit animantibus, cuius ergo, vicissim dormiunt, vigilant. Somnus affectus humidus, primi sensorii quasi vinculum & quies est, vigilia eiusdem solutio.

EREBRVM facultatum animalium sedes, meningibus & osseis muris vndiquaque munitum, frigidâ & humidâ temperie donatum fuit, pluribúsque distinctum partibus, quibus vt à se inuicem disjunctæ sunt, insiderent. Inter illas glandula obseruatur κοινὰ appellata, velut centrum in medio ventriculorum sita, ad quam ex sensibus externis, quasi è circumferentia ductæ lineæ concurrunt, cumque vnica sit plexu choroide suffulta, elaboratis spiritibus semper turgens, in ea sola duæ tùm oculis, tùm auribus exceptæ species vniri possunt ac debent: ἔστι γὰρ μία αἴσθησις τὸ κοῖλον αἰσθητήριον ἓν. Propterea malè Aristoteles sensum communem in corde, malè Arabes in anteriore cerebri parte, malè Metoposcopi in fronte & eius lineis positum voluêrunt.

Ergo κοινὰ ἐστιν sensus communis sedes.

334

Proponebat Lutetiæ IOANNES COVSIN Parisinus. A. R. S. H. M. DC. XLI.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Petrus Yon.
M. Claudius Germain.
M. Germanus Preaux.

M. Ludouicus Renoüard.
M. Petrus le Comte.
M. Mathurinus Alton.

M. Nicolaus Regnier.
M. Ioannes de Bourges.
M. Ludouicus Robillard.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE